

ductione: sequuntur partes Logicæ, quas nostri institu-
ti ratione constituemus vel Generales, vel Speciales.

52. Generales juxta operationes mentis considerant
vel τὴν νόησιν ἀδιαίρετων, vel σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν, vel διάνοιαν. Aut
si placet dichotomia, considerant vel ἐξηγήσειαν *Interpre-*
tationem, vel διάνοιαν *Discursum*.

53. Ἐξηγήσεια autem est vel *Simplex*, primæ mentis ope-
rationi respondens: vel *Conjuncta*, respondens secundæ.
Arist. in lib. de interpret. cap. 1.

Cap. 5.
De Nomi-
ne & Ver-
bo.

54. Ad simplicē refertur explicatio Nominis & Verbi.

55. *Nomen* est vox significans ex instituto absq; tem-
pore, cujus nulla pars significat separatim. ὄνομα ἐστὶ φων-
ὴ σημαντικὴ καὶ συνήκην ἀνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντι-
κὸν κεχωρισμένον. *Arist. ibid. c. 2.*

56. *Verbum* est, quod ad significat tempus, cujus nul-
la pars significat separatim, semperq; signum est eorū,
quæ de alio dicuntur, ῥήμα ἐστὶ τὸ προσσημαῖνον χρόνον, &
μέρος ἔδὲν σημαίνει χωρὶς, καὶ ἐστὶν αἰετῶν καθ' ἑτέρας λεγομένων
σημεῖον. *Arist. ibid. c. 3.*

57. Ad conjunctam refertur Ἀπόφανσις *Enuntiatio*,
ex nomine & verbo sub conceptu subjecti & prædicati
orta: Et definitur ὁ λόγος, ἐν ᾧ πρῶτως τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεῦδ. ἃς
ὑπάρχει oratio, in qua primò inest verum aut falsum.
Arist. cap. 4.

Cap. 6.
De Enun-
tiatione.

58. Hujus spectatur tum *Constitutio*, tum *Divisio*,
tum *Affectio*.

59. *Constitutio* est ex partibus materialibus, *subjecto*,
& *prædicato*: formali, ut *copula*. *Arist. ib. cap. 5.*

60. *Subjectum* est de quo aliquid dicitur. *Prædicatum*
est id, quod in alio dicitur. *Copula* est ipsum προστιθέμενον,
per quod connectitur prædicatum cum subjecto. *Vide de*
interpret. cap. 12. §. 4. 1. prior. 1. §. 8.